



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Nouo Testamento Quatuor Eua[n]gelia

Erasmus, Desiderius

Erphordie, 1520

VD16 B 4591

Vita Sancti Lvcae Per Divvm Hieronimvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34488

FO. LVIII.
VITA SANCTI LVCAE PER DI-
VVM HIERONIMVM.

Lucas medicus Antiochenſis, vt eius ſcripta indicat, Graeci ſermonis non ignarus fuit, ſecutor apoſtoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes, ſcripſit euangelium, de quo idem Paulus: Miſimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus eſt in euangelio per omnes eccleſias. Et ad Coloffenſes. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus. Et ad Thimotheum, Lucas eſt mecum ſolus. Aliud quoque adidit volumen egregium, quod titulo *πραξεις αποστολων* praenotatur, cuius hiſtoria uſque ad biennium Rhomae commorantis Pauli peruenit, id eſt, uſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem urbe librum eſſe compoſitum. Igitur *περιολογος* Pauli, & Theclae, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas ſcripturas computamus. Quale enim eſt, vt indiuiduus comes apoſtoli, inter caeteras eius res, hoc ſolum ignorauerit? Sed & Tertulianus uicinus eorum tempore, refert preſbyteros quendam in Aſia *σωνλαστην* apoſtoli Pauli, conuictum apud Ioannem, quod autor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id excidiſſe quidam ſuſpicantur, quotieſcunque in epiſtolis ſuis Paulus dicit iuxta euangelium, meum, de Lucae ſignificate volumine. Et Lucam non ſolum ab apoſtolo Paulo didiciſſe euangelium, qui cum domino in carne non fuerat, ſed a caeteris apoſtolis, quod ipſe quoque in principio ſui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipſi uiderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Igitur euangelium, ſicut audierat, ſcripſit, Acta uero apoſtolorum, ſicut uiderat, compoſuit. Vixit octoginta & quatuor annos, uxorem non habens. Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quam urbem Viceſimo Conſtantij anno, oſſa eius cum reliquis Andree apoſtoli translata ſunt de Achaia.

M 5